

153

dici *Venturieri* appellamus, *Archiatros* vero, qui a Decurionibus electi salario publico honorabantur. Enimvero in duabus legibus 9. & 10. ejusdem tit. Codicis, in quibus de Medicis ab ordine Decurionum lectis seu legendis agitur, Archiatri semper dicuntur l. 9. *Archiatri scientes annonaria sibi commoda a Populi commodis ministrari &c.* l. 10. *Si quis in Archiatri defuncti locum est promotionis meritis aggregandus.* Plures enim Medicos in quaque Urbe fuisse, quam qui ab ordine conducebantur, docet Justinianus in §. *item Roma* 15. *Inst. tit. de excusat.* ubi eos solum Medicos, Grammaticos, Rhetores a suscipiendâ tutelâ excusari vult, qui *intra numerum sunt.*

PERITISSIMO. In MSS. Collectione Inscriptionum Pisarensium, quam Pompejus Compagnonius Vir doctissimus possidet, additur ET RARISSIMO.

ET OBSEQUIIS SVIS OMNIBVS AMANTISSIMO. Principua laus medicorum; illis enim expresse ab Imp. injungitur ut *scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servire divitibus.*

L X V.

GRuterus edidit pag. DCLXXIV. 11. Cippus effusus fuit anno 1612. ut n. VIII. diximus. Dimidiatum esse apparet: in superiori parte, quæ deest, erat olim fortasse nomen filiorum, quibus Calpurnia mater dolens & mœrens monumentum posuit.

L X V I.

T. F. *Titi Filius*, seu potius *Titulum Fecit.*

ET FAMILIAE. Servis nempe, qui familiæ nomine veniunt l. 2. § 14. *Ver. familia ff Vi bonor. raptor.*

L X V I I.

ANfas, quibus sepulcrales Inscriptiones ornabantur, illustrat eruditissimus P. Lupi in Commentario S. Severæ § VIII., quem vide.